



**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Emißio spiritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

EMISSIO SPIRITVS.

391

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

In ciij. imaginem adnotati iuncula.

ciij.

- | | |
|---|---|
| A. Excepit clamorem Christi emissio Spiritus. | H. Omnis turba videntes quae fiebant, percutientes pectora sua reueriebantur. |
| B. Tenebrae hactenus perseverantes à sexta hora, incipiunt evanescere. | I. Capiunt sanum consilium Iudei, ut crucifixis crura frangerentur. |
| C. Velum templi ad sancta sanctorum scissum in duas partes à summo, &c. | K. Mutant ad Pilatum qui peterent ut crucifixi frangerentur. |
| D. Contremiscit terra. | L. Franguntur alijs crura. |
| E. Petra scinduntur, &c. | M. Vnus militum lancea latius IESV aperuit. |
| F. Monumenta multa aperiuntur. | N. Stabant longè omnes cognati, & mulieres. |
| G. Centurio videns quod sic clamans expirasset, glorificat Deum. | |

130.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LVC. XXIII. IOAN. XIX.

* emisit spiritum. * expiravit. expiravit, * tradidit spiritum.
Et ecce velum templi scissum est in duas partes, sum est in duo, a summo usque deorsum: a summo usque deorsum.

& terrae motus est:

& petrae scissae sunt:

& monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.

Centurio autem,

Videns autem Centurio qui ex adverso stabat,

quia sic clamans expirasset,

ait;

Verè

hic homo filius Dei erat.

Et cum eo erant cuncti videntes IESVM, visum terrae motum, & quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.

Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua reueriebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè,

Kk 4

MATTH.

Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua reueriebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè,

quod factum fuerat.

glorificavit Deum,

dicens;

Verè

hic homo iustus erat.

MATTH. XXVII. MAR. XV. LUC. XXIII. IOAN. XIX.

Erant autem ibi mulieres multae à longè, Erant autè & mulieres & mulieres

qua sequuta erant IESVM à Galilea, ministrantes ei:

qua sequuta eum erant à Galilea,

de longè aspicientes: hac videntes.

inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedai.

inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome; qua, cū esset in Galilea, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliae multae quae simul cum eo ascenderant Hierosolimam.

Iudaei ergo quia Parasceue erat, ut nō remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatū, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cū eo. Ad IESVM autē cū venissent, ut viderent eum iam mortuum, nō frangerunt eius crura: sed unus militum lancea latus eius aperuit: & cōtinuū exiit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verū est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis: facta sunt enim haec, ut scriptura impleatur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

ADNOTATIO.

EXcepit clamorem Christi capitis inclinatione, & emissio spiritus: illud verò fuit temporis punctum, quo precium redemptionis solutum est Patri Deo pro omnium mortalium peccatis. Ibi planè cōsummata omnia, ibi victoria reportata est de mundo, Diabolo, peccato, inferno. Quò concesserit Christi anima proxima adnotatione dicitur: nunc de iis quae contigerunt super terram mortuo Christo. Illud autem primò est animaduertendum, separatim quidem animam Christi fuisse ab eius corpore in morte, nec fuisse Christum hominem in triduo mortis suae, fuisse tamen verbum tum animae, tum corpori vniū

hypostaticè, ut verè dicamus Christi latus apertum in cruce, Christum sepultum, Christum ad inferos descendisse, ab inferis sanctorum animas eripuisse: cū illa fecerit in corpore Christus, haec in anima. Fuit autem haec seiunctio excellentissima anima à corpore perfectissima (per tantū cruciatū praesertim) acerbissima: nā cū explicari vix possit intima illa anima & corporis vulgarium hominum conspiratio naturalis atq; vniū, quid censemus in Dei hominis anima & corpore fuisse? Suauissimè quidem illud corpus sanctissimū fouit triginta tres annos beata Christi anima, corpus summa fuit illi inclinatione & in-

& iucunditate coniunctum & obsequens; hanc coniunctionem sciungi, voluntate quidem Christi, violentia tamen penarum, fuit longe amarissimum, & omni dolore plenum: sentiunt autem Dei mortem, & deplorant omnia.

B. Cælum iam tertiam horam obtenebrato Sole, Luna, atque stellis lugere cum perseverasset, redit paulatim ad solitam lucē, incepit enim cessare Eclipsis.

C. Templum interius, velum non sustinens, prodiit quæ erant obiecta & abstrusa antea semper: fuit enim expirante animam Christo velut quo sancta sanctorum obtegebantur, a summo decorum usque in duas partes discissum.

D. Terra ferre non potuit cum mori qui ipsam creauit, & tribus digitis molem terra appendit, subsultat enim, ac veluti tremore concutitur.

E. Petra duritiem suam obliuiscit, quasi dolorem suum explicantes discinduntur, & in his mariorum columnæ toto aëre diffugiunt consternata volucres: mare ad terræ totius commotionem exarsuat, pisces turbantur: neque verò infernus non sentit Christi mortem. Nam cum omnes passionis Christi articulos per Angelos internumtus cognouissent patres in Limbo, & scirent aliud nihil esse reliquum, quam ut inclinato capite spiritum traderet, vidētes terram totum, intelligunt eo ipso temporis momento exhalare animam Christum: commouentur & dolent, ut ad singulas Christi pænas fecerant: verum nulla mora intercedente venit ad illos anima Christi, & fuerunt omnes æterna gloria repleti. Et hæc quidem Sancti sentiunt in inferno.

F. Multorum præterea sepulchra & Hierosolymis, & tota Iudæa aperiantur, quod fuit indicium proxima resurrectionis multorum: non enim ante Christi resurrectionem ex eis quisquam resurrexit.

G. Hæc cum fiebant prodigia inaudita, omnes quotquot aderant vehemens timor inuasit, Centurionē præsertim & milites; qui his signis perterriti, & animaduertentes quod tam validè clamans animam exhalasset, profitetur filium Dei, aiant gloriam Deo, prædicant constanter iustum esse hominem IESVM.

H. Omnis præterea turba populi & mulierum, quæ ad spectaculum ex urbe conuenerat, tacta religione & stupore, ac tundens præterea pectora domum reuertitur: Sat autem aufugit confutatus & vitatus.

I. At Iudæi, expleto iam tandem sue malignitatis desiderio, videntes portenta, non desinunt tamen scire in IESVM. Vide, obsecro, phari-

saicam & subdolum pessimorum hominum hypocrisim: autorem legi interficiebant nefarie, & legis tamen zelum cum singulari vanitate præferrebant, excolantes calicem, camelum deglutientes. Sabbatum, inquit, & magnū quidem Sabbatum est, in quo duo festa concurrunt, & Pascha, & septimæ diei celebritas ordinaria; non decet Sabbato remanere corpora in cruce. Et hæc quidem erat ipsorum simulatio, re autem vera alio spectabat eorum crudelitas & malitia; ut si forte mortuus non esset IESVS, prorsus fractis cruribus interiret per cruciatū & atrocem infamiam: vel si non statim fractis cruribus moreretur, ut ita projiceretur, quemadmodum alia solebant damnatorum corpora, cum summa ignominia & acerbitate.

K. Hæc constitutis adeunt ad Pilatum aliqui ex Iudæis, ducunt secum milites nonnullos, petunt ut crucifixorum crura frangantur & rollantur, ne Sabbatum contaminetur, sed suam auctoritatem retineat: concedit Pilatus.

L. Cū reuertissent, reueriti IESVM milites alios adeunt primum crucifixos, & eorum crura frangunt, non enim erant adhuc mortui: ad IESVM verò venientes, explorant prius an animā exhalasset: quod cū cōperissent, eius crura non sunt ausi contingere: etiam si Iudæi frangi cōtenderent, plus tamē valuit apud milites communis humanitas, quam Iudæorum atrocitas. Neque verò illud poterant, nec Deo cōtradiciente os vllum illi confringere poterat quisquam.

M. Sed Dei mysterio factum est, ut arrepta Longinus miles lancea latius eius punctum aperiret, ferro inter costas à dextro latere ad cor adactō. Itaque non latius solum, sed cor ipsum Christi IESV aperuit, ex quo vulnere continuo, & verus sanguis, & aqua vera fluxerūt, ex quibus sacramenta, ex quibus Virgo Mater Ecclesia formaretur, unde perfugium omnium tribulationi pateret & afflictioni. Quis enim non omni cōfidentia ad cor Christi aperiri adeat? Quis in eo petreæ Christi foramine non suauissime ac tutissime suā spēs salutē, & vitā collocet? Recipe nos, Christe IESV, ad cor tuū, quod etiā nūc habes in gloria cælesti apertū, ex corde tue voluntatis & virtutis ut simus, viuamus, operemur ad gloriam nominis tui sempiternam. O felicem animam, cuius cor illa IESV Christi lancea transfigi cōtingit, & sub cruce illum sanguinis fluxum, illud aquæ excipere fluentum, illi fontibus rigari ac mundari, illinc potari ac pasci, illinc crescere in perfectam Christi IESV imitationem! Et vulnus quidem infixit Longinus ad humanitatem spectans;

spectans, ut si forte mortuus non esset IESVS, absque cruciatu ut exemplo moreretur: non caruit illud tamen summa impietate, etiamsi nihil sentiret doloris corpus: inferebatur enim vulnus illud Christo, inferebatur Deo in corpore: & tamen adorandum vulnus veritatis Deus in sacrosancta ac diuina mysteria.

N. Adstiterat ad crucem IESV Maria Virgo Mater, cum Ioanne, Maria Cleopha, & Maria Magdalene, recesserat tamen postquam mutuum illam commendationem ab eo audierat: longe dein astabat cum omnibus notis, & cum mulie-

ribus, Maria Magdalena, & sororibus Maria Cleopha, & Maria Salome, & alijs quae Christum fuerant à Galilea usque sequutae. Omnes aduertebant quae gerebantur & obseruabant, neque quae discedebant, expectantes ut corpus IESV mortuum curarent. Erant quidem omnes in summo dolore ex morte Christi, spe tamen magna & suam, & aliorum miserrimam solabatur Virgo Mater, quod videret filium de morte, Diabolo, peccato, inferno triumphare, in Limbum sollicitis patribus Paradisum & gloriam caelestem inuasisse, & breui esse gloriose resurrectionum.

MEDITATIO.

M Agnis indicijis è cruce ostēderas, benigne IESV, nobis tua erga nos voluntas magnā propensionē; nunc verò motu etiā ipso, & capitis inclinatione idē cōfirmas. Inclinas ad nos caput, & si quidē totus es caput nostrū, totū te ad nos inclinas, ad bene & diuinē de nobis merendū. Quū autē ea inclinatione animā ponas, clarē significas pro nobis virā te ponere, & id nutu capitis tui diuini demōstras: tradis verò spiritū Patri & reponis, quē tua voluntate ponis pro ouibus tuis. Porro in separatione animae tuae à corpore terminantur omnes tui dolores & cruciatūs, absorbet illos mors tua, & simul mortē ipsam & peccatū abolet. Hoc verò fuit praecipuū temporis momētum, quo moriēte creatore, quasi se destitui sentiret, contremuit & turbata est creatura vniuersa; & quem in tota passione Christi sentiebat luctum, hoc tēpore expressit. Neque enim non senserūt suo luctu Angeli eum mori, qui est ipsorū vita aeterna; sensit Virgo Mater mortē filij Dei dolore vehemētissimo, vehemētē doloris sensum discipuli habuerunt, & sanctae mulieres; suū quotquot pietatē aliquā ex Christi doctrina & miraculis retinebant. Verūm quū is esset dolor hic summus, erat tamē passionū omnium Christi postremus; quas passiones excipiebat animae gloria, sequebatur gloria animarū omnium quae in Limbo deincebantur; dissoluebatur precii humanae captiuitatis, & conficiebatur mortaliū redēptio; representabatur peccatorum nostrorū mors, & sensuū mortificatio, mētis in Deū leuatio & absorptio, qualē seruis suis Christus gratificari solet. Miseros nos si ad hāc non mouemur, miseriore si hāc miserā animo non cognoscamus & non deploremus. Vim mortis Christi sentiunt caelū, aēr,

mare, terra, sepulchra, & quae sub terra sunt illā si nos non sentimus, si nihil supra nos leuamur, sumus insensibilis elementis stupiores, & nostra socordia plusquā mortui: & hac quidē nostra insensibilitas eō nocentior est, quod nostra voluntate sit & ignauia. Vel Cēturio & qui cum eo erāt, nos mouere deberent ad sensum mortis Christi; hi enim plus erant quā terra, plus quā petra & quā monumēta, infideles enim erāt & idololatra; & tamen audiō Christi morientis clamore, visis quae fiebant, agnoscūt IESV diuinitatem ac profitentur. Fregit clamor Christi eorū corda petris duriora, mouerūt quae fiebant signa illorū animū, expugnarunt infidelitātē; & nostrae fidei non cōmoueunt imperfectionē, & cordis duritiē non emollient? Postremū quis non se cōiungat turbā? omnis enim turba eorū qui aderāt, & videbāt quae fiebant, percutientes peccatorā sua reuertebātur. Clama, Domine IESV, in corde nostro illū clamorē. Clamani, & cōtinenter clamo, & non auditis. Adde, magne IESV, vim, & nostras ad te audiendum rebelles compelle voluntates; signa tua in nos exere, velū nostrarū cecitātū disrumpē, cōcūte nos timore tuo salutari, discinde cordis duritiē ac dissipa, sepulchrū aperi animae nostrae, ut peccata nostra suū fœtorē exhalent, ut peccatorum confessionem ad salutem cōtēdamus. Compelle Domine, cōpelle nos ad te, ut nobis erit fructuosius & tu volēs. Cōiunge verò vulneris quod mortuus accepisti, piū & deuotum cordis nostri sensum; penetrauit illa lancea diuinum cor meum, penetret per te lancee eiusdem, & vulneris tui, & cordis tui visin viscera cordis mei, tum me continenter & timore tuo, & aculeo compunctionis intima, & charitatis tuae traiciat. A M E N.

QVAE